




1
6
516







FLORES MEDICINÆ PRACTICÆ,

Quorum veritatem tueri conabitur

IOANNES FRIDERICVS KHERN,

AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter,

IN AEDIBVS PATINIANIS,

Menſe Julio Die XXIX. Hora XXI.

SUB

AVSPICIIS STYRIACIS.



PATAVII, M. DC. LXXXVII.

Ex Typographia Seminarii. *Superiorum permiſſu.*

60

CELSISSIMIS, REVERENDISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS,
GENEROSISSIMIS, ET NOBILIBVS
INCLYTI DVCATVS STYRIÆ STATIBVS
D. D. PATRONIS SUIS COLENDISSIMIS. ETC.

IOANNES FRIDERICVS KHERN,
STYRVS GRÆCENSIS.



Væ hactenus inter continuos ingeniorum labores in tenebris delituerat Medicina mea, ea nunc publicam aspectura lucem, Vestrum gestit subire aspectum, vestrisque ad-vol-vi pedibus, Celsissimi, Reverendissimi & Illustrissimi Ducatus Styriæ Proceres, Patres Patriæ, Patroni gratiosissimi. Nec vano ad id inducta argumento: Enim verò hæc, priusquam me doctoratu honoret decertare cupida, eorum sub patrocinio se retur tutissimam, quo Styriæ status permansit securus: Vestra enim virtute factum est, ut, dum Thracicus hostis,

imma-

immani furentis Martis dextera, in circumjacentibus vestris terris depopularetur oppida, incenderet pagos, diriperet urbes, campos cadaveribus fœdaret, in omnes furiosè sæviret, vestra inquam virtute factum est, ut inconcussa Styriæ salus sit conservata, laudes vestras æternùm decantatura. Hoc quidem Medicina mea in remotis etiam plagis ab occinente Fama proclamari audivit; quid mirum inde, si & illa periculosam in arenam descensura, felicem sui laboris quærens exitum, non immemor, vestra sub protectione, trium annorum laboribus fatigatam philosophiam meam prospera disceptatione terminatam; quid mirum, inquam, si eadem lactetur spe, & optatam metam à vestro favore ambiat. Non aliter, quàm cum procellis jactata navis, si cui debet portui incolumitatem, iterumque turbinibus tempestatibusque comissa, ad salutiferum eundem portum se recipere conatur.

Ita medicinalis hic labor meus, ad coronidem properans, vestris supplex advolvitur pedibus, ut illis, exigua quidem, sed quæ potest, gratitudinis suæ rudimenta deferat, quibus se totum asserere debuit. Suscipite igitur has Medicinæ meæ Theses, Celsissimi, Reverendissimi, & Illustrissimi, Styriæ Conservatores, & absentem me præsenti vestro numine foveatis, cujus potentia eruditos oppugnantium impetus retundere, & sacræ artis dogmata fortiter vindicare queam. Suscipite illas, quas, nisi vobis, offerri permittunt tot accepta beneficia nullo tempore obliteranda. Sed quid vos ultro morarer, Patroni gratiosissimi, cum in cele-

61

berrimo Patavino Lyceo, studiis theoreticis primum me dedissem, ad nobilissimam, difficillimam, & utilissimam Asclepiadeæ artis partem hilari pede me contuli, hortante, imò & manu ducente Equite Carolo Patino, Doctore Medico Parisiensi, primario Practicæ extr. Professore, viro verè φιλογερμάνῳ, cujus consilio & opera, praxim ad medicinæ Principum mentes, publicè defendere constitui. Pudor mihi foret maximum ni iis, quæ tam honorificè Majores mei calcarunt vestigia, insisterem, & decimum tertium vestri medici locum ex mea exigua familia, non pœnitendis laboribus & tota industria, aut non ambirem, aut non assequerer: Feliciter sanè succedet, si meos conatus probaveritis, ut opto & spero. Sic Deum O. M. precor, ut illis non indigeatis, sed vos publicæ saluti, mihique æternùm servet.



FLO-

FLORES
MEDICINAE PRACTICAE.

I. DE PRAXI.

Raxis ſeu methodus medendi, ſecretum ſecretorum ſecretiſſimum, eſt opus Medici, ſanos præſervando, ægroſque reſtituendo. Utrumque probè fieri nequit abſque cognitione τῆς ἰδιοσυγκρασίας, & indicationibus. Pars affecta, morbi cauſa, morbi ſpecies primùm inveſtigentur: illis deinde accomodentur remedia. Partem affectam indicant ſitus, actio læſa, dolor, excreta & retenta. Sit ne pars an per ſe an per conſenſum affecta, maximè obſervandum. Compatitur pars altera alteri, tribus modis, vicinia, ut uterus veſicæ, pulmo cordi, hepar folliculæ: Operis ſocietate, ut mammæ utero; cerebrum, nervoſis partibus: communione vaſorum, ut ventriculus, inteſtinis; labium inferius, ventriculo. Morbi cauſam priùs dignoſcat Medicus, quàm ſanare tentet. An externa, an interna? An ut poſterioris morbi cauſa, ſic prioris ſit affectus? An dolor eam concomitetur? Qualis ille ſit? Punctorius, humorem acrem denotat; tenſivus cum gravitate plenitudinem; idem cum levitate, flatum. Morbi ſpeciem conſtituunt intemperies, læſum organum, aut utrumque. Ex ſymptomatibus illa dignoſcitur. Veternus intemperiem frigidam & humidam oſtendit; vigilia, calidam & ſiccam. Si tuſſiendo excretus ſit multus ſanguis, phthiſis conjicitur: Dejectiones loturæ carnium ſimiles, hepatis imbecillitatem arguunt; genæ rubræ, peripneumoniam. Ut nihil Medico glorioſius eſt quàm futura prævidere & eventum morbi prædicere, ſic nihil aut fallacius aut periculoſius.

II. DE VSV REMEDIORVM MORBIS OPPONENDORVM A CONTRARIO.

PRofligando morbo inveniatur remedium, invento prudenter utendum eſt. Morbos omnes ſimilibus ſanari, inſanè docet Paracelſus. Extremis morbis extrema remedia opponenda ſunt. Repletionis morbi, evacuatione ſanentur; laboris, quiete. Curentur per contraria cauſæ quæ morbos committunt. Intemperies ad

62.

naturalem ſtatum reducatur; Si nuda ſit, apponendo calida frigidis, humida ſiccis: Si materia corrupta fuerit, illicò vacuetur; ſi cruda coquatur; ſi craſſa, incidatur; ſi tenuis, incraſſetur; ſi lenta, detergetur; ſi peſtilens ac venenata, alexiteriis materia retundetur. Occultæ facultates ineptæ aut fraudulentæ habeantur. Humores ſinceros vix unquam peccare axioma ſit; Sed eos cæteris impactos ab una præcipuè qualitate vitium contraxiſſe. Inter morbos organicos magnitudo & numerus ſimili modo curentur, ut caro ſupercreſcens exedentibus, cauterio vel ſcalpello minuenda: Vulneris aut ulceris cavitas, ſarcoticis & alimentis augenda. Pars ſuperflua ut ſextus digitus, ſi actioni incommodet, abſcindatur. Quæ ad uſum neceſſaria ſunt, reſarciantur; ut callus pro deperdito oſſe, cicatrix pro cute ſubſtituatur. Pro vero dente, eburneus collocetur, tum ad vocis articulationem, tum ad decorem. Herniis & illud convenit, Contraria contrariis curari, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστιν ἰήματα. Nam ſi inteſtinum aut omentum in ſcrotum exciderit, dilatato aut rupto peritonæo, reponendum eſt; deinde adſtringentibus atque ſubligaculo continendum. Meatus anguſtiores dilatentur, latiores adſtringantur. Calculus urinæ meatum obſtruens, inciſione facta in perinæo extrahatur. ſolutio continui methodicè uniatur.

III. DE TEMPORE EXHIBENDORVM REMEDIORVM.

OPportunitas anima curationis cenſeatur; eſt quippe domina rerum agendarum; Ptiſana ægris convenit; intempeſtivè exhibita, eſt exitialis. In paroxiſmo nutrire non oportet, multò minùs purgare. Critico die quieſcendum, ne interturbata natura ſuo officio fungi non poſſit. Tum etiam in τῶν καταμηνίων profluvio. In morborum principio & incremento cruda ſunt omnia; ſtatus periculoſus eſt; ergo in declinatione ſola purgare licet, at lautius nutrire. Media æſtate ac hyeme, à venæ ſectione & pharmaco abſtinendum, niſi urgeat neceſſitas. Vere & autumno, licet iis ſecuriùs uti. Creſcente ac plena Luna, præſtat ſanguinem mittere, decreſcente aut ſilente, purgare. Venæſectio potius interdiu celebretur, purgatio noctu, ſi penes Medicum ſtet electio. In acutis porrò has cautiones obſervare foret ridiculum; prius enim ager ſæpè vitam finierit quàm cœlum ſuſpectam conjunctionem mutaverit. Clyſteres & topica, vix ullum deſiderant determinatum tempus; ſalubriùs porro eſt id quod ſomno ſuccedit.

IV. DE QVANTITATE ET VSV REMEDIORVM.

NOn omni homini æqualiter mittendus eſt ſanguis, ſeni minus quàm juveni, meridionali quàm boreali, pituitoſo quàm ſanguineo. Aperiantur venæ cum delectu, inquiunt; cephalica partibus animalibus medetur, baſilica naturalibus, media utriſque: Saphena mulieribus aut capite dolentibus. Circulatio ſanguinis, qua nil certiùs, hanc opinionem deſtruit. Affectæ partis latus præcipuè evacuetur: Galenus ſæpè ſex ſanguinis libras detraxit, ad deliquium animi: Recentiores iterant opus, ſi novem unciæ non ſuffecerint. In exhibendis medicamentis maxima cautione opus eſt; alias quippe, & ſi Θεῶν χεῖρες, ſæpè ducunt ad tartara. Mulieribus ut ut molloribus, quàm viris, minor doſis convenit, inſuetis quàm aſſuetis: Regulam illis imponat Medicus, ex circonſtantiis Socrati convenientibus, non homini. Juveni viro hæc ſit aliquot medicamentorum doſis, Rhabarbarum in ſubſtantia ad ſcrup. 2. infuſum ad dracm. 1. ſem. Caſſia ad unc. 1. Manna, Tamarindi ad unc. 2. Aloe in ſubſtantia ad dracm. 1. ſem. infuſa ad dracm. 3. Scammonium a gran. IV. ad gran. VIII. Syrupus de roſis ſolutivus, de floribus mali perſicæ, Diaprunum ſimplex ad unc. 1. Senna Orientalis in ſubſtantia ad dracm. 1. infuſa ad dracm. 3. Mechoacan, Agaricus ad dracm. 2. Jalap, ad dracm. ſem. Medicamenta in medio alimentorum & venenorum reponenda ſunt: Sunt vel alterantia, vel purgantia. Aſſumuntur ſyrupi, apozemata, emulſiones, potus, forma liquida, ſicca verò pulveres, pilulæ, trochiſci, tabellæ, conſervæ. Injiciuntur clyſteres, in alvum, veſicam, uterum, aures. Induntur peſſi in uterum, balani in anum. Admoventur olea, unguenta, linimenta, catapla ſmata, ſacculi, balnea.

V. DE REMEDIIS CHIRVGICIS.

MEdicinæ pars quæ manu curat chirurgia dicitur; omnium antiquiſſima. Inciſionibus & aduſtionibus præcipuè perficitur. Vanitatis inde accuſandi, qui hanc ut ſcientiam jactant. Continuum illa ſolvit, aut diviſum conjungit, aut ſuperfluum amputat. Primùm incidendo, excidendo, venam ſecando, ſcarificando: Deinde vulnera agglutinando, luxata reponendo, fracturas curando: Tandem tumores præternaturam auferendo, ut carcinomata, ſcirrhos, nodos, ſtrumas, &c.: Quæ omnia eò ſalubriùs perficientur, quò celeriùs, tutiùs & citra dolorem. Fraus in omnibus præcaveatur. Inſanabiles morbi, cujuſmodi ſunt occulti cancri, elephantiaſis, calloſa ulcera, ne curari tententur. Sint in promptu hæc unguenta; baſilicum, ad maturandum; apoſtolorum, ad detergendum;

63

aureum, ad implendum; album, ad glutinandum; dialthæa, ad dolorem sedandum; Generalium instrumentorum usus opptimè dignoscatur: ad incidendum, forfices, novacula, scalpellum, lancetta, serra; Ad extrahendum, forcipes, seu tenaculæ, vulsellæ seu pincettæ, hamus recuruus, uncus seu uncinus. Ad explorandum, specillum & chatheter. Ad suendum acus & cannulæ! Ad urendum, cauteria, quæ vel potentialia vel actualia sunt; hæcque pro ratione partis urendæ, myrtea, olivaria, cultellaria, aut conica. Particularia peritiam singularem desiderant, trepanum, falx, speculum oris, matricis. Quæ medicamentum non sanat, sanat ferrum; quæ non ferrum, ignis; quæ non ignis, nihil. Celeberrimum opus & ἡγεμονικὸν est venæ sectio, deinde scarificatio, demum cucurbitulæ. Illa præcipuè medetur viscerum inflammationibus, apoplexiæ, phrenetidi, morbo sacro, vertigini, ophtalmiæ, anginæ, pleuritidi, peripneumoniæ, arthritidi, melancholiæ, furori uterino, suppresso muliebri profluvio, hæmorrhoidibus, omnibusque acutis doloribus. Salvatellæ, aut venæ linguæ sectio, atque minorum vasorum, vix prodest.

VI. DE REMEDIIS PHARMACEVTICIS.

PHarmaciæ, medicinæ alterius ministræ, objectum est quidquid hominem alterat & immutat, hoc est medicamentum. Simplex, sincerum est, compositum quod plura artificiosè continet; hæc inde prioribus suspectiora, præcipuè validioribus constantia, ut Laudanum opio, & quod unius vires ab altero corrumpantur. Innocens nullum est, cùm calorem nativuum frangere perpetuò conetur: Efficaciora pejus præstant. Hęc tamen necessaria; ut enim plethorę, venæ sectio medetur. sic cacochymiæ, aut vomitus, aut clyster, aut purgatio convenit. Vomitoria omnia suspecta sint, naturæ quippe cursum interturbant, caput replent; Clyster saluberrimum est remedium, purgatio inter utrumque collocanda. Μοχλικὰ ut stibium, nonnisi rarissimè usurpanda, imò nunquam: Vel remota ἐμετικῇ violentia, ac veneni suspicione, corpus enim nimis fortiter concutiunt, à quo mors frequenter obrepit. Sudorifica sanguinem colliquando vitæ principia minuunt. Divretica non temerè præscribenda sunt, calefaciunt quippe exsiccant & inflammant. Syrupos coctionem humorum juvare, perperam dicitur; solius caloris nativi id beneficium est atque opus: Reclamat Celsus, artis majestati potius quàm veritati inhærens. Προπόματα ceu dulces potiones laudant Veteres, Zulalapia Arabes, eademmente. Benedicta ea nuncupatur quorum pars com modè in alimoniam abit, ut pruna, Tamarindi, Cassia, Manna Pur gatio est excretio humoris peccantis, ceu à medicamentorum

vi

vi humores attenuente, ceu ab irritamento, seu à substantiæ proprietate. Calor, perpetuus purgantium comes, actionem promovet. Ventriculi tonum sæpè destruunt; hinc cautè præscribenda debilioribus visceribus. Præstant quæ electivè purgant, at ea sunt paucissima. Quę sępè probata sunt, salubriora censeantur, ἐξότικα minùs.

VII. DE CLYSTERE.

OMnis liquor in cavitatem injectus clyster solet nuncupari. Vulgo is est qui per anum receptus, rectum atque superiora intestina ad dejectionem sollicitat, primam regionem expurgat, & sentinam exhaurit. A cavis hepatis trahit per portam, a liene per ramum Splenicum. Revellit a partibus superioribus. Sit ergo remedium generale, ante & post purgationem salubriter usurpandum. Hujus exemplum sit: ℞. hydromelitis lib. I. ad detergendum. ℞ lactis aut decocti chamæmilini lib. I. ad dolorem placandum. Addatur unc. I. mellis aut communis aut violacei aut mercurialis, erit valde detergens: Sacchari rubri unc. I. aut salis dracm. I. irritabit excreticem: Olei unc. 3. lubricabunt. Electuarii diaphænici unc. I. purgabit, & validius attrahet. Omnia commodè præstaret hæc clysteris formula. ℞. Decocti emoll. lib. I. dissolu. mellis & sacchari rubri an. unc. I. Elect. cathol. unc. I. S. olei unc. III. ff. clyster tepidè ac molliter injiciendus. Adstringens hic erit: ℞. Centinodiæ, Plantaginis, thapsi barbati, an. m. I. ff. decoctio, in colaturæ lib. I. dissolu. syrupi myrthini vel Cydoniorum unc 3. ff. clyster. Augeatur quantitas si virtus sopita sit, ut in apoplexia, caro, & in nephritide. Minuatur in ulcere intestinorum, hydrope, lico dolore &c. Colici, proni contineant clysterem, nephritici, verò supini: Illis injiciatur quantum perferri poterit calidior, nephriticis ad summum tepidus. Vanum est clysteres pro alimonia esse.

VIII. DE PONDERIBVS, NOTIS, ALIQVOTQVE SIMPLICIVM NVNCVPATIONIBVS.

GRanum unum gran. est cæterum ponderum basis, ut unitas numerorum. Obolus scrup. pendit gran. X. Scrupulum scrup. grana XX. Drachma dracm. I. grana LX. Uncia unc. I. drachmas VIII. Libra lib. I. uncias XII. Manipulus M. dicitur quantum manu arripi potest. Pugillus P. quantum tribus digitis comprehenditur. Ana æqualem cujusque memoratæ rei portionem significat. q. s. quantum satis, vel quantum sufficit.

Com-

64

Communes hæ ſint aliquot ſimplicium nuncupationes. 4. herbæ emollientes; Althæa, Malva, Parietaria, Violaria. 5. herbæ capillares; Capillus veneris, Scolopendrium, Polytricum, Ruta muraria, lingua cervina. 5. Radices aperientes, Apii, Aſparagi, Fœniculi, Petroſelini, Ruſci. 3. Flores cordiales; Borraginis, Bugloſſi, Violarum. 3. flores calidi; Anethi, Chamæmeli, Meliloti; 4. ſemina calida majora; Aniſi, Carvi, Cumini, Fœniculi. 4. ſemina calida minora, Ammi, Amomi, Apii, Dauci. 4. ſemina frigida majora, Citruli, Cucumeris, Cucurbitę, Melonum. 4. ſemina frigida minora, Cichorii, Endiviæ, Lactucæ, Portulacæ.

IX. DE FEBRE EPHEMERA.

NUllum eſſe magnum morbum abſque febre certum eſt, dicant quid velint de apoplexia, tetano, & cholera morbo, certius nullum mori ἀπύρετον. Frigidam aliquam vanum ſit cogitare, cùm omnis eſſentia ſua ſit incendium, illudque univerſale, ſive ſolos ſpiritus ſive etiam humores, aut partes ſolidas infeſtet. Symptomaticæ à morbo ſuo pendent, confuſæ prudenter dignoſcendæ, rarò moleſtantes hic omittendæ.

Ephemera omnis à cauſa externa oritur, & primo die extinguitur ob ſubjecti tenuitatem, nec niſi accenſis humoribus diutiùs durat. Vix ideo indiget Medico, ob brevitatem. Judicatur ex urina ſtatim concocta. Curatur refrigerante diæta, juſculis, citrio malo, ſyrupo violaceo, clyſteribus, balneo, atque venæſectione, ſi contumacior fuerit. Procul ſit vinum & quodcunque calefaciens, morbi quippe cauſæ opitularentur. Terminatur madore aut ſudore, qui ſtatim abſtergendi ſunt, ne ſerpat febris putrida. Quamvis ſinceræ ephemerę non requirantur purgantia, purgandi tamen ægri poſt febrem, ad declinandum periculum. Probatur hæc formula: ℞. Decoct. refrig. ut endiv. violar. borrag. unc. v. infund. fol. Orient. Sennæ dracm. 2. Rhei. dracm. ſem. in colat. diſſol. electuar. cathol. unc. 1. ff. potio ſumenda ſummo mane, jejuno ventriculo, ægerque ſuperdormiat.

X. DE SYNOCHO.

COmmuniſſima febrium quæ in humoris vitio poſitæ ſunt, eſt ſynochus, orta à ſanguine inter alas & inguina fervente, ac ideo continua & periculoſa. Inflammatio ſola ſimplicem facit: quarto die finiendam: Putredo pro varietate & gradu, innumeras ejus ſpecies efficit. Illam difficilis reſpiratio, genarum rubor, & capitis præcipuè dolor patefaciunt, cum pulſu pleno & veloci: Hanc præterea corporis jactatio, hypochondriorum diſtentio, ſomnus

nus veternosus, primùm indicant; deinde vomitus, diarrhæa, urinæ fœtidæ profluvium, aut ejusdem supressio, sudor insolens, καταμηνίων aut αἱμοῤῥοίδων retentio. Vocatus Medicus statim clysterem blandum injici curet, quem data occasione iterabit, ut post biduum, si pigra sit alvus, Basilica dextra tundatur: deinde sinistra, Quibus non erit parcendum quamdiu constabit morbi causa, viribus id ferentibus, & premente plethora, morbi fomite perpetuo. Quidam ad animi deliquium sanguinem educunt, præstat multoties quàm multum: Victus attenuans præscribatur, solida arceantur, carnes, ova, sanguinis massam nimis adaugentia, lac & vinum præcipuè. Juscula ex bonis carnibus parentur, bubula, vitulina, gallinacea: temperentur lactucâ, portulacâ, cichorio, buglosso, boragine, cerefolio. Aqua cocta cum hordeo, gramine etiam cum aceto, sit pro potu: Glycyrrhisa debiliori pectori apta est & Jububæ. Syrupi exhibeantur putredini oppositi, ut de acetositate citri, de limonibus, de granatis, cum aquis rosarum, endiviæ, graminis. Licet etiam imminuta febre sanguinem detrahere ob recidivæ motum. Tardius purgandum est, scilicet post manifestam morbi declinationem. Commodè id fiet Senna, Rheo, Cassiâ, Tamarindis, electuario Catholico, Diaprunis, Diaphenico, syrupo de rosis solutivo, de floribus mali persicæ, &c.

XI. DE CAVSO.

FEbris ardens seu causus inter continuas censeatur, quamvis tertio die acerbior recurrat. Ideo cum tertiana ὁμογενὴς est, & quod utriusque causa sit bilis multa & quasi sincera. Signa παθογνωμόνικα sunt calor deurens & sitis inexplebilis: Συνεδρεύοντα verò, lingua sicca, nigra & aspera, spiratio difficilis, vehemens præcordiorum æstus, ventris dolor mordax, dejectio liquida & pallida, ἄλυσμος, delirium, quæ omnia, ardentissimi caloris sunt effectus. Quòd magna occupet vasa, à quibus brevi substantiam cordis pervadit, sanatu difficillimam tradunt Veteres. Cui quia extremus morbus est, extremum remedium subitò opponatur, scilicet venæsectio multoties repetita, quæ fervidum imò bullientem sanguinem evacuat, sicque partem affectam liberat. Vomitoria in totum arcenda. Cucurbitulæ, vesicantia, emplastra refrigerantia, salvatellæ sectio, levioris armaturæ præsidia sunt, & pro nihilo habenda, Purgantia quælibet, si unquam, valde periculosa in augmento aut rigore; quin & in declinatione, non urgent. Tenuissimus victus concedatur, aqua hordei, panis in aqua decoctus aut aceto madefactus, lactuca, anguria: subducantur diligenter acria, salsa. Concilietur somnus, sed solis somniferis, necarent quippe soporifera, caloremque nativum obruerent. Clysteres alternis diebus alvum refrigerent.

XII. DE

65

XII. DE FEBRE QVARTANA.

FEbris a ſucci melancolici pravitate orta, Quertana eſt, quarto quoque die recurrens. Si tertio, duplex quartana, ſi unoquoque die commoveatur, triplex Quartana nuncupatur. Falſum eſt nunquam iterum Quartana corripi, qui ſemel evaſit, eamque à magnis morbis liberare, atque ſecuram eſſe febrem. Tremor & ſtridor dentium paroxiſmos incipiunt, comitatur dolor profundus à terreſtri humore qui ad cutem trudi non poteſt. Hinc etiam ſudor paucus, urina tenvis & aquoſa, dejectiones ſiccæ. Humore ad atram bile vergente, pejora ſunt ſymptomata, ideo periculoſior morbus. Diȩta eò utilior eſt quò gravius affligitur melancholicus, frequens Medicorum crux & opprobrium. Vinum non continuò denegandum, ratione habita febris & humoris. Abſtinendum eſt in principio à refrigerantibus & humectantibus: in fine evacuationis, è contrario. Prȩter indicationes à plethora ſumendas, Melancholici minuendi ſunt ſanguine, at minori quantitate. A dextris, ſi ab hepate; à ſiniſtris ſi à liene morbus oriatur. Hirudines ano applicentur, educunt fæcem ſanguinis, neque vires debilitant, & naturam ad inferiora evocant. Oxymel peccantes humores prȩparat. Syrupi de Bugloſſo, de Boragine, de Fumaria, incidunt & attenuant: Quibus præmiſſis purgare expedit. Clyſterum uſus frequens ſit, validiorum in progreſſu. Vomitu quidem exoneratur ventriculus, non tamen acriter permovendus. Ante cibum inſtituatur, ſi natura eò vergat, mulſa, ſucco raphani, aſari, pennis olȩo imbutis fauces irritantibus. A ſudoribus leve ſperetur auxilium, majus ab alvi dejectionibus. Provocentur hæ in fine paroxiſmi, infuſa Senna, Rheo; diſſolutis electuariis Diaprunis, Diaphenico, ſyrupo de roſis ſolutivo. Diaſennȩ magiſterii dracm. x. validiùs purgant, ut Mechoacam, Jalapium, quibus ideo nonniſi rarò utendum. Chinam ſeu corticem Peruvianum commendant plurimi ex eventu, prius tamen univerſalibus remediis incumbendum. Amuletis fidunt ignari aut impoſtores: aliis nugis, mulierculæ. In diuturnioribus Quartanis, admoveantur ventriculi & hepatis & lienis regioni, oleum Nardinum, Maſtichinum, de nuce moſcata. Quintanas, ſextanas, ſeptimanas, nonanas, ſe vidiſſe negat Galenus.

XIII. DE CAPITIS DOLORE.

HEmicraniam à cephalalgia diſtingunt, quod hæc totum affligat caput, illa partem tantùm dimidiam. Vt ab iiſdem cauſis proveniunt, ſic eadem admittunt remedia. Ictus, ebrietas, frigus, odor

odor gravis, insolatus, præcipuę sunt externę causę. Internę, humor aut vapor, interdum utrumque, gravans, vel distendens, vel erodens; hinc dolorum differentiæ. Vanum quippe sit nudam intemperiem accusare, seu sine materia. Omnibus, sanguinis missio convenit, at pręcipuè gravioribus; interdum ad syncopem imperanda. Secanda est aliquando vena in fronte & in naribus; quin & arteria post aures, si acutissimus sit dolor, & à sanguine bilioso in ea contento judicetur, id tamen non temerè neque absque Medici emeriti consilio. Affigantur ano hirudines. Admoveantur concubitulæ cum scarificatione, cruribus, coxis, scapulis, & maximè inter primam & secundam vertebram. Frictiones pedum leviter juvant. Revulsiones omni arte parentur. Valet ad repercussionem oleum camœmelinum, potentiùs rosatum. Errhina à multis commendantur, & succus Betę & Ciclaminis, pulvis Nasturtii, Castorei, Piperis, Euphorbii, Nicotianæ. Vomitus vitandus est, nisi capitis dolor à ventriculi saburra oriatur. Dejectiones sunt promovendæ, clysteribus primùm, ac deinde potionibus, tum superiores tum inferiores partes purgantibus. Scammonio ipso, nisi mitiora successerint utendum. Narcotica, & si ab impatientibus ægrotantibus postulata, suspecta sint, somnifera ut syrupus de papavere, diacodium, primò concedantur, à quibus Requies Nicolai & Philonium in usum revocari possunt. Ita consulatur capitis restitutioni, ut toti corpori detrimentum non fiat.

XIV. DE PHRENITIDE.

PHrenitis olim censebatur membranarum cerebrum involventium inflammatio: Recentiores pręter membranas ipsam cerebri substantiam affectam esse rectè arbitrantur, à sanguine fervidiori & bile quasi sincera, putrescente. Hæc si usta fuerit, facit maniam, seu phrenetidem efferatam: Non usta verò, febrem urentem atque phrenitidem vehementiorem, argutè dictam ἐρυσιπέλας cerebri. Interdum morbus est, interdum symptoma. Affectis aliquando deest imaginatio, ut Theophilo medico arbitranti perpetuò adesse tibicines: Aliquando ratio, ut projicienti per fenestram vasa: Aliquando memoria, ut Hermogeni Rhetori proprii nominis oblito. Nunquam porro memoria leditur quin primùm læsa fuerat ratio. An illa varietas à diversitate locorum affectorum? ita censent Arabes, Græcis, Latinisque non constat. Phrenitidis signum certum sit, delirium cum febre, ut melancholiæ, delirium ἀπύρετον. Morte terminatur per convulsionem, syncopem, strangulationem, lethargum, & hecticam: Sanatur fluxione sanguinis per nares aut hæmorrhoidalem venam, sudoris copiosi, urinæ, & dejectionum. Quæ postrema ut naturæ impetum sic Medici officium indicant.

Repu-

66

Repugnantibus C. Celſo, Aureliano aliiſque, venam audacter ſecemus, cephalicam, baſilicam, frontalem, imò & ſaphænam. Applicandę ſunt fronti hirudines, ſcarificatio occipiti affigenda, linguę vena interdum tundenda. Naturales fluxiones juvandæ, etiam acriter ſollicitandæ ſunt. Victus ratio refrigerans & humectans eſſe debet. Vinum plane inhibendum.

XV. DE EPILEPSIA.

A'Πὸ τȣ̃ ἐπιλαμβάνειν quòd ſenſum atque motum inopinato apprehendat, dicta eſt Epilepſia, deterrimum genus morbi, ob magnitudinem, ſacri & Herculei nomen habet; præterea caduci, comitialis, lunatici, puerilis, Sancti Ioannis, varias ob cauſas. Eſt convulſio non perpetua cum principum actionum abolitione, ſeu injuſſa univerſi corporis convulſio cum læſione ſenſuum & mentis, affectis cerebri ſinutus anticis & poſticis, ipſoque ſpinalis medullæ initio. Signa παθογνωμόνικα ſunt ſpuma oris, & caſus in terram: Æger convellitur, ſtertit, clamare non poteſt, jactat brachia, cruraque: ἐπιφαινόμενα, ſtercoris, urinæ & geniturae exitus. Imminentia, gravitas capitis, ſonitus aurium, ſcitillæ ante occulos obſervantes, inſomnia turbulenta, indigeſtiones, priapiſmus, pollutiones. Mirabilis affectus cauſam dicunt frigidum & craſſum humorem, ventriculos cerebri obſtruentem, interdum irritantem interdum ſolos vapores, præſertim melancholicos & acidos: A quo melancholici facile evadunt epileptici. Bilioſi epilepſia non tentantur. Morbus eſt aut ἰδιοπαθητικὸς aut συμπαθητικός: Hic ſanabilior illo eſt, & quibus ante pubertatem accidit. Si ſymptomaticus fuerit, curanda veniet pars mittens, ventriculus, uterus, hypochondria, &c. Si idiopathicus, ei vix debetur venæ ſectio, præter plethoram: non enim hæc epilepſiæ ſed epileptico plerumque debetur. Ex cephalica educatur ſanguis etiam è ſaphæna, Cauterium admitti poterit occipiti & brachio ſiniſtro. Revulſio ex ligaturis, frictionibus, & cucurbitulis, non ſatis valida eſt. Suffumigia ex pice, ſtyrace ruta, in aceto macerata, parum præſtant. Acetum ſtilliticum cum pulvere cyclaminis, & aſſæ fœtidæ, caſtorei, & colocynthidis, pro naſariis uſurpentur. Oleum caryophillorum & cinnamomi, aquæ vitæ immixtum, auribus inſtillatur. Humores attenuentur, incidantur, & detergeantur decoctis rad. pœoniæ, ſtocados, rutæ, hyſoppi, betonicæ, oxymelle ſimplici vel ſcillitico, ſyrupo de betonica. Purgentur ſenna, agarico, electuario diaphœnico, hiera compoſita, helleboro nigro. Abſint aquæ thermales, minerales, ſævumque illud medicamentum, humani ſanguinis potus; atque etiam ejuſdem balneum. Balneum aquæ dulcis præponatur. Apage ἀντεπιληπτικὰ vulgo dicta.

cranium humanum, ungulam alcis, amuleta omnia. Prohibeatur vinum: Diæta ſit æqualis & moderata, abſque fructibus, caſeo, vaporoſisque quibuslibet. Recordemur τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν.

XVI. DE ANGINA.

OMnem affectum circa cervicem cum difficultate ſpirandi & repentinæ ſtrangulationis periculo, ob clauſum laryngem, Anginam Latini, Synanchen Græci nuncupavere. Ejus ſunt innumeræ cauſæ externæ prudenter antecavendæ, variiſque modis ſanandæ. Motus vehementior, ebrietas, potus nivis, cibi acriores, medicamenta acria, ceruſſa, hyoſciamus, fungi, aer peſtilens, aqua in iis qui ſubmerguntur, reſtis in iis qui ſuſpenduntur. Antecedentes cauſę anginam potiùs fovent quàm faciant, in plethoricis, cacochymis maribus, & quibus larynx debilior eſt. Conjuncta eſt intemperies quæ aliquando occurrit ſine materia, ut à magna ſiccitate convellente muſculos claudentes laryngem, ſic à frigiditate eoſdem reſolvente: at ſæpius cum materia. Hæc vel ſolidior eſt, qualis à pure ab aliquo abceſſu erumpente, à cibo corrupto, per vomitum ad fauces depulſo, aut vermibus à ventriculo ad fauces aſcendentibus; vel humoris, quæ phlegmonem, eriſypelas, &c. aut ex iis compoſitos tumores, anginæ differentias conſtituit. Synanche ea vera eſt quâ inflammatur larynx, muſculique in eo contenti: Paraſynanche ab inflammatis externis, aſperam arteriam conſtringentibus, cujus ſignum eſt rubor & tumor. Tanto citius celebranda eſt venæ ſectio quanto magis urget periculum, ad animi deliquium à veteribus præſcripta. Illam pro neceſſitate iterandam cum Galeno cenſemus. Ex utroque brachio, vena frontis, lingua, & jugularibus, citiùs juvat quàm è ſaphæna, quæ tamen ad revulſionem interdum neceſſaria eſt, ut & hæmorrhoidum. Clyſteres primo die conveniunt ad fæces educendas, altero acriores injiciendi ſunt, ad naturæ curſum inferiùs-flectendum. Purgantia initio morbi niſi male facerunt, in declinatione propinentur. Lac, ejus ſerum & mororum ſuccum vix demulcendis faucibus præſcribat Medicus. Scarificari tibias cucurbitulaſque apponi jubent Veteres, & lavari pedes in aqua calida. Errhina aut cerata nullomodo, quidquid garriant inepti, utilia ſunt. Premente periculo, ad bronchotomiam deveniendum eſt.

XVII. DE PERIPNEVMONIA.

PEripneumonia eſt inflammatio pulmonis: Præcipuè ejus ſymptomata ſunt febris acuta, ſpirandi ſuffocans & inæqualis difficultas, thoracis gravitas, & diſtentio dolorifica, tuſſis ſicca, ſputum

67

tum ſpumoſum, genarum rubor. Ab innumeris cauſis externis movetur, antecedentibus excitatur & fovetur. Efficiens proxima eſt humor, ſeu ſimplex ſeu compoſitus, interdum intra vaſa & interdum extra, naturalem ſubſtantiæ temperiem debellans & opprimens, cui ſæpè ſuccedit διαφθῶρα τῆς ὀσίας, irreparabilis ſcilicet pulmonis corruptela. Inflammatur eſſentialiter pravi humoris congeſtione aut fluxione; interdum per conſenſum capitis, ut in catarrhis; Laryngis, in angina; membranę internè coſtas ſuccingentis, in pleuritide; hepatis lienis, ventriculi. Solvitur ad ſalutem maximè ſputo, fluxione ſanguinis ex naribus, urinis & dejectionibus, humore ad renes aut inteſtina depulſo; aliquando etiam parotidibus. Morte terminatur, interrupta reſpiratione, phrenitide, convulſione atque ſyncope. Curativæ indicationes à cauſa ſumantur: victus ratio ſit refrigerans, à purgationibus abſtinendum, niſi delinito morbi furore, neque tunc niſi levioribus uti licet: Quamprimum educendus eſt ſanguis ex ambobus cubitis, iterandum opus quamdiu ſanguis pro flamma eſt: Potentius ſuccurit quàm cucurbitulæ & ſcarificationes, hæ tamen etiam admittendæ. Temerarii ſunt qui repercutientibus utuntur. Suſpectę fidei, qui errhinis aut apophlegmatiſmis fidunt. Thorax illi nitur oleis camemelino, amigdalino, rutaceo, tandem irino, de coſto, de euphorbio. In declinatione vehementer laudatur balneum aquę dulcis tepidę.

CÆTERA DESIDERANTVR.

